Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

de uitiorum tenebris misere conscientie rapiuntur in tenebras exteriores luctus et pene. Alii moriuntur in deserto. Hii sunt qui per penitentiam deserunt quod fuerunt, et transeunt in numerum ouium que ut in montibus uel in deserto remanserunt. Alii moriuntur intra sancta. Hii sunt qui merito sanctitatis asscribi optinent in sorte sanctorum in lumine. Item in libro scripto intus et foris. Intus per diuinitatem qua in principio erat uerbum; foris per humanitatem qua uerbum caro factum est. Scripte erant lamentationes carmen et ve. Quia in prudentia sapientie dei ve peccatoribus pro iudicii equitatem. Lamentum penitentibus per dispensationem. Carmen iustis competit per gratiam ad remunerationem. Isti scilicet peccatores non dimidiant dies suos. Unde est uiri sanguinum non dimidiabunt dies suos. Penitentes uero dimidiant. Unde et penitens quidam in medio ait dierum meorum uadam ad portas inferi. Iusti autem complent dies suos. Unde quidam eorum appositus est ad populum suum plenus dierum; et de aurora scriptum est, unde dies dierum prodiit. Completi sunt dies Marie ut pareret filium suum primogenitum.

Cum is medius sermonibus nostre narrationis intime considerationis tue inter luces radiis, atque adeo iocunda prosequeris, ut ea complere apes floribus et innectare uideantur intimo uberrimo profundo gaudio, ut eo ipso addideris calcaria sponte currenti. Nunc ergo ad incepta regrediar. Supradictus uir dei per quam diuine gratie consolationem accepit, iam firmior in statu rectitudinis, iam multomagis cepit diues esse non caducis facultatibus, sed muneribus celestibus, in quibus non temptatio lubrica, sed constans et perpetua est gratia. Et quoniam electe segetes et uberes agri aliquantulum compluti interdum culmis aristisque luxuriant, ita mens plena uirtutibus angelica uisitatione roborata in diuersarum uirtutum copiam redundabat. Insuper intus intimi amoris nectar floris integro uirium annisu totum se ad perpetue uirginis et regine obsequium contulit. Quin immo et ecclesiam eius in qua superius concentibus admisceri dignus fuit, ampliori affectu colere et frequentare studuit. Et ipsa et meritis et glorie singularis domina manifestis comprobauit indiciis. Quod nimirum in lucrum cedunt quod honorificentie ei impenduntur. Quadam ergo nocte more suo prius in ecclesia apostolorum preces et uota maiori quam solebat spiritus ardore inchoauit, ut eas in ubertate gratie dei medio intime prelaret; et tandem in templo regine celestis tamquam in sinu ipso misericordie copiose effusas affectuose compleret. Et ecce dei salutaris nostri gloriosa mater cum uirginibus imitabilis sui exempli sacris pedissequis ad mediam usque uiam ei de ecclesia obuiam processit, et susceptum cum honore sub quodam triumphi ordine ac processionis ambitu ad ecclesiam usque deduxit. Siquidem due de comeantium cetu uirginum precedebant et precinebant. Cantemus domino socie, cantemus honorem. Dulcis amor Christi consonet ore pio. Hos uersus dum excepisset chorus uirginum, due ille uirgines subsecute sunt. Primus ad ima ruit magna de luce superbus. Sic homo cum tumuit primus ad ima ruit. Itaque repetitionem supradictorum uersuum consono uirginei cetus choro itidem semper reuocante, due ille ymnum ad finem cum binis uersibus modulate sunt.

Patet de hoc sancto dei tum ex multiplici laude ipsius meritorum tum ex concessa sibi participatione celestium secretorum ad tres eum sacre pagine uocationes pertinere. Prima que ueteris testamenti est; secunda que noui; tertia que est testamenti eterni, futuri regni. Non plures enim uocationes generales in sacris litteris inueniuntur. In prima dicitur: Venite filii audite me, timorem domini docebo uos. In secunda dicitur: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis. In tertia dicitur: Venite benedicti patris mei percipite regnum. Extrema hec pertinet ad patrem, quamuis non proferatur a patre. Sed enim cum deus pater deus sit, tamen homines sancti homines tamen preferendi uocationem. Illa uero spectat ad filium, qui est uerus deus et uerus homo et mediator dei et hominum. Pertinet autem ipsa uocatio ad patrem. Non enim dicet: uenite benedicti mei, sed benedicti patris mei. Sicut autem ultima hec ad patrem, sic media ad filium pertinet. Quis enim dicere debuit: uenite ad me qui laboratis, nisi quem propheta super altare stantem uidit et dicentem: Percute cardinem et commouebuntur superliminaria, id est quem super altare crucis stantem uidit statione laboriosa, et sacerdotum et populi illius ruinam decernentem. Prima ad spiritum sanctum pertinet in qua dicitur: timorem domini docebo uos. Ipse enim ueraciter unctio dei dicitur que docet nos de omnibus.

Accipe nunc tertium miraculum.

Accipe quendam deo dignum presulem huic meritis parem simul reuelationum gloria insignem et earundem quas commemoras uocationum participem. Erat hic francigena genere et bonus dictus presago future bonitatis testimonio. Fuit inter cetera sue sanctitatis insignia de numero eorum qui sunt ueri adoratores adorando patrem in spiritu et ueritate, et quibus dulce est sine intermissione orare. Unde non solum nullo cupiditatum temporalium turbolento appetitu rapi potuit, uerum et necessarius uite presentis curis immoderatius occupari refugit. Presertim uero postea postquam uita redit ei qui uita est, et qui hanc hominibus uitam dedit, uite sue cursum et finem instantissime commendabat. In huiusmodi sane uigil ac indefessus conatibus et obsecrationes perpetuat.

74

STIFTS-BIBLIOTHEK ZWETTL